

**Rector Universitatis Rostochiensis Bernhardus Barnstorff/ Med. D.P.P. & Poliater, Ad exequias Quas ... Sophiae Mariae Gutzmers/ Coniugi Suae Desideratissimae ... Dn. Joachimus Seeke/ Iuris prudentiae Studio & usu dudum iam Clarissimus, Hodie solenniter paratas cupit Omnium Ordinum Cives Academicos Honorifice invitat : [P.P. Rostochii Sub Sigillo Universitatis, die 21. Aprilis A. D. 1687]**

Rostochii: Characteribus Wepplingianis, [1687]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777525690>


Druck Freier  Zugang



64  
Barnstorff, B.,  
in S. M. Gutzmer,  
uxor. J. Seeke.

R. 1687.
















148  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
BERNHARDUS

Barnstorff

Med. D. P. P. & Po

Ad exequias

Qvas

*Nobilissima, Splendoreq; Natalium ac Virtutum  
Fulgidissima Femina*

SOPHIÆ MA-

RIÆ Gutzmers/

Conjugi Sux Desideratissimæ

*Vir Nobilissimus atq; Amplissimus*

DN. JOACHIMUS Seefe/

Juris prudentiæ Studio & usu dudum jam Clarissimus,  
Hodie solenniter paratas cupit

*Omnium Ordinum Cives Academicos*

*Honorificè invitat*



ROSTOCHII,

CHARACTERIBUS WEPPLINGIANIS Univ. Typ.







Nullus alius, sanè qui ex  
denatâ frugi conjugè nascitur ju-  
stissimus dolor est, adeo ut tripli-  
ci circa pectus ære rigidum, & ab  
omni humanitate, multò magis  
verò amoris conjugalis sinceritate  
alienissimum hominẽ merito suo  
dixeris illum, qui serenâ mente,  
exporrectâ fronte, ficcisque oculis, vitæ sociam maritali  
fide optimè meritam, ex hac mortalitate dimiserit. Sive  
enim maritum superstitem ipsum, sive relictos liberos,  
seu familiam deniq; attentiori paulum oculo lustres, a-  
deo non carere sydere hoc exoptatissimo cominodè do-  
mus potest, ut magna profectò sit calamitas, jactura  
grandis & vix ullis satis deploranda lachrymis, amisisse  
uxorem desideratissimam, matrem providissimam, Do-  
minam benignissimam. Quid quæso maritus sine uxo-  
re? dimidiata sanè aut certe gravissimè sauciata in ægro  
& affecto corpore anima. Non inveniatur is facillè curis  
suis varii generis ac ponderis, quæ vel ex officii deman-  
dati partibus largissimo proventu in se redundant, vel ut  
providum familias patrem mille modis tenent sollicitum,  
vel corporis infirmitati debentur ac ægritudini, mede-  
lam potentiorẽ, svaviusq; levamen, quam quod morum  
lenitate, verborum dulcedine, amorisq; omnia vincentis  
virtute, constanti nullisq; molestiis cedente fide con-  
iunctissima parat conjux. Quid sine matre liberi; quod absq;  
sole terræ semina: nec enim consulere illorum tenerita-  
ti, educationiq; eâ quâ par est prudentia, patientia & indu-  
stria laborare maritus tot negotiis aliis publicis privatis-  
q; distentus potest, ut læta vitæ morumq; capiat incre-  
menta hoc sine sole soboles. Neque domus absq; do-  
minâ



mina aliud, quàm famulitii quædam colluvies est, & pura  
puta anarchia, vel ut Homerus ait, *δὸμ' ἠμιτελής*, semi-  
perfecta. Quod si ergo jactura rei eò gravior est, &  
qui subsequitur dolor acerbior, quo res amissa fuit cari-  
or: fieri certe non potest, ut maritus uxoris suæ mor-  
tem sine afflictione corporis, sine angore animi ferat,  
nisi immanitate barbaras gentes, ferasq; beluas superet,  
atq; adeo hominem penitus exuat. Est aliàs procul  
dubio intima pectoris saucians dolor, sicubi parentes ex  
se natos liberos, optimæ indolis haut obscura proidentes  
indicia, rebus humanis eximi, spemq; sic omnem nasci-  
turi ex sobole gaudii, conservandæq; in illa post fata e-  
tiam vitæ suæ, uno ictu violentiæ mortis prosterni vide-  
ant; attamen hunc uti reliquum omnem lugentium  
mœrorem superare ex amissâ conjugæ luctum tam facile  
crediderim, ut omnium quos tristis experientia utrumq;  
docuit, paratissimum mihi promittam calculum. Sa-  
né arctiori amabiliorq; necessitudine junctæ nobis uxo-  
res, & individua vitæ consuetudine, dum non prosperæ  
solum, sed omnis fortunæ necessitatem nubendo ineunt,  
diviniq; pariter ac humani juris communicatione con-  
junctæ sunt; Non pars tantum aliqua pectoris ut liberi,  
sed plus quam dimidium haut injuria audiunt. Neq;  
verò observantiâ etiam, pietate & obsequio liberis ce-  
dunt. Quis quæso unquam liberorum se pro patre ad  
mortem obtulit; at pro Admeto marito obtulit sese  
Alcestis. Quis liberorum ultrò cum parente in rogam  
ascendit? at fecit hoc Panthea, Abradæ Susiorum Regis  
conjug, & Plutarcho si credimus, fecerunt certatim In-  
dorum & Minyarum uxores. Quis deniq; liberorum,  
mortem sui parentis ita tulit dolenter, ut ejus causâ vi-  
tam sibi acerbam putarit, nunciumq; ei remisit? at fe-



cit hoc Laodameia Protefilai uxor, fecit Evadne, fecerunt sexcentæ aliæ, quarum ego non probo factum, sed adfectum, & quantum amoris in pectoribus conjugum flagret incendium, ex eo animadverti posse judico. Ut adeò mirari haut immerito subeat cogitantem, qui factum, quod Numa ille Pompilius liberos quidem decennio minores, tot menses à parentibus, quot ipsi vixissent annos, defleri voluerit; uxores autem à maritis lugeri nefas putarit? Respondet quidem sapientiæ pater Seneca: viris nullum esse tempus lugendi à majoribus constitutum, quia nullum sit honestum; at enim cum responsum hoc non Chrysippi lucernam, sed à πικρὴν Stoicæ muriam oleat, admitti non meretur. Quis enim cui paululum intercedit cum humanitate commercii, turpem viro mulieris luctum dixerit, cum hunc ille non didicerit à ratione, neq; acceperit à legibus vel consuetudine quâdam, sed ab ipsâ natura, cui obsisti nequit, arripuerit & hausierit. Indidit enim hæc nobis adfectum & amorem, inseruit sensum diligendi, & benevolentiam charitatem erga conjuges, ut illarum incolumitate & rebus secundis gaudeamus, adversam verò sortem vel morte acerbissimè doleamus. Multo minus autem probandus est, infelix ille utriusq; fortunæ hæc quidem in parte Medicus, Franciscum Petrarcam volo, qui dum medicinam parare viduo amissam uxorem lugenti studet, toxicum miscet, in vinculum conjugii sanctissimum planè injurius. Audiamus quæso nonnulla ejusdem in Dialogo XVIII. L. II. *Rationem* inter & *Dolorem* pro more suo instituto, sequenti modo sermocinantis: D. uxorem heu perdidit. Rat. O præposterum ingenium, stupendumq; hominem, qui uxoris infunere lugeat, saltet in nuptiis. D. uxorem perdidit. R. O demens, hymenæum cane, coronatum vinctum vidimus, dignioribus jam fertis accingere. Magno prælio vicisti, & longam obsidione liberatus es. D. Uxorem perdidit. R. sic dicis perdidit, quasi qui febrem perdidit aut scabiem. Interdum lucri species est perdere. D. Uxorem perdidit. R. Nunquam tibi fortassis opimiorum quæstum una lux attulit. Quantis compedibus elapsus es, quanto naufragio enatasti. D. Sed uxorem bonam perdidit. R. Quid si hoc etiam non jactura sed lucrum, & magni fuga periculi



li est? Ut enim sit bonam reperire, constantem ubi quærimus? Notum illud summi vatis: Varium & mutabile semper femina. D. Amisâ dulci conjugæ solus sum. R. invidiosa vero solitudo est malis caruisse comitibus. Nihil egregius cœptis infestius muliebri consortio D. Conjugem iam illi optimam. R. Et quæ optimæ, quæq; virorum amantissimæ videntur, Zelo ac suspicionibus aliquanto cæteris acrius inardescunt, quo incendio conflagrare pacem domesticam est necesse. Quorsum igitur quærelæ? Perdidisti uxorem invenisti libertatem, cœlibatum, pacem, somnum, requiem. Jam tranquillam sine litigio noctem agis. Hæc & multò plura Ille. Quæ eò minus considerari merentur, quod Pontificiæ superstitioni addictus hic, clericali vitæ à pueritiâ, quod fateretur ipse mancipatus, tandemq; Paduæ Canoniceus, sentire aliter aut loqui non auderet, quã quo juratum sese vinculi conjugalis, quod vile & semper odiosum servitium alibi vocat, hostem proderet. Saniora nos de Conjugio Christianorum edocti, jure meritoq; luctum de amisâ per mortem conjugæ acerbissimum, ne tamen immodicum, non solum approbamus, sed hoc tristitiæ genere intimè afflictis ex animo etiâ condolemus. Neq; igitur vitio vertendum Nobiliss. Amplissimoq; viro Dn. JOACHIMO *Secretarij* J. U. Ddo, Ad fini nostro honoratissimo, quod, quos verno hocce tempore, gemmeâ pratorum viriditate, & arborum in novum florem sese induentium venustate, pascere debebat oculos, lachrymarum, quas ubertim profundit nube obscurare & quasi deturpare videatur. Effert enim is hodie uxorem suam verè desideratissimam, quæ non gentis suæ macula, nec mariti pœna, sed ita nata & educata, ita primis statim ab annis composita fuit, ut conjunctio ejus, dum viveret, marito fuerit jucundissima, divortium morte jam factum longè sit acerbissimum. Amisit uxorem non imperiosam, ut Polla quondam erat, non rixosam ut Afrania, non morosam, ut Papi-ria, non luxuriosam ut Messalina: sed parcam, sobriam, modestam, obsequentissimam, & ad nutum omnem paratissimam. Quanta illi cura fuerit maritum hunc sibi delectatissimum, cum variis corporis imbecillitatibus subinde conflictantē, blandiùs fovere, paratissimaq; ad omnem indigentiam ope sua solari, vix



dici potest, adeo ut vel suppositis manibus male adfectum absq;  
intermissione, si modo possibile fuisset, sustinere, ipso moestissi-  
mo viduo exertis verbis fatente, haud detrectasset. In re familia-  
ricuriose administranda, quanta ejus fuerit dexteritas, quam te-  
nax industria, quam rara prudentia tot annorum indefesso stu-  
dio comparata, norunt omnes quibus quadantenus vitae ratio  
Beatae nostrae cognita fuit. Neq; in educatione proba concredi-  
torū sibi divinitus conjugii haut infœcundi pignorum, quicquā  
in sese desiderari passa est, quin potius fideli admonitione & ex-  
emplo pariter suo, ad pietatem haut fucatam, aliāq; sextui & atati  
convenientia opera sedulo incitavit. Quae & alia prolixius in  
laudem debitam defunctae, heic recenseri possent, nisi fama no-  
minis faventissima, tacentibus etiam nobis, abunde id ipsum elo-  
queretur. Hæc igitur annon justissimi doloris argumenta præ-  
valentia pondere sunt? Quibus etiam accedit nataliū splendor  
Majorumq; virtus & gloria, a quibus cum sanguine, virtutū semi-  
na, postmodum in gratissimum florē ubere copia exeuntia uti  
participavit, ita eō intensius sui desiderium reliquit. Nata igitur  
nostra nuncpientissimè denata An. à Christi nativ. millesimo  
sexcentesimo quadragesimo quarto d. XI. Dec. hic Rostochii est,  
fortita Patrem, Virum Nobiliss. Ampliss. atq; Consultissimum,  
*Dn. Simonem Johannem Gujmer* / p. m. J. U. D. Consulem ac Syn-  
dicum Stargardiae, ad Jhnam amnem Pom. ulterioris, Urbis Han-  
seaticae, postmodum hic Rostochii, & per Provincias Mecklenb.  
Practicq; celeberrimū. Quod nomen *Gutzmerianum* hodieq; in  
duobus Beatae nostrae Fratribus germanis, hanc sororem suam  
impensissimè dum viveret diligentibus, altero Serenissimi Prin-  
cipis Sverinens. Dn. nostri clementissimi Consiliario gravissimo,  
altero J. U. D. & Advocato Aulae Sverin. celebratissimo, Fautore  
utroq; & Ad sine nostro honoratissimo, insigni splendore efful-  
get. Matrem vero nacta est *Annam Reginam Hagenmeisters* / semi-  
nam virtutum matronaliū claritate tum maximè spectabilem.  
Avus paternus fuit *Dn. Michael Gujmer* / Dioeceseos Sternberg.  
Senior, & Eccl. illius Pastor optimè meritus; Avia paterna, *Ma-  
ria Fabricia*, *Dn. Johannis Fabricii* Pastoris Sterneberg. Filia. Avus  
maternus *Dn. Georgius Hagenmeister* / Senator Rostoch. dum viveret  
gra-



gravissimus; Avia materna *Margaretha Deselins/ Dn. Christianus  
 Beselini* Filia. Proavus Paternus *Dn. M. Simon Guymmer/Sterneb.  
 Dioceseos Senior, Ecclesiae q; Pastor*; Proavia paterna, *Anna Jan-  
 ters Nicolai Janers*; Consulis *Sternebergens.* filia. Proavus ma-  
 ternus, *Georgius Hagemeister/Serenissimorum Principum Meckl.  
 Dn. Ulrici & Dn. Johannis Alberti g.m. arctioris Consilii Secreta-  
 rius*; Proavia materna *Regina Krügers/ Ulrici Krügers/ Consulis  
 quondam Güstrov.* Filia. His ortum suum Majoribus debet.  
 Simulac verò primā Mundi hujus lucem oculis usurpavit, sacro  
 fonte regenerita, & à tenerā aetate in timore Domini, virtutum q;  
 sexum hunc condecorantiū exercitio sollicitē educata est, ex-  
 miā indolis, genij q; ad regendam aliquando felicissimē famili-  
 am apprimē comparati, certissima jam tum prodens indicia.  
 Unde, postquam nubiles impleisset annos, procos faciliē sibi con-  
 ciliavit; inter quos vir strenuus, *Dn. Ulricus Joachimus Krüger/ si-  
 gnifer equestris*, eam sollicitē caste q; ambiit, cui etiam An. 1665.  
 connubio juncta, duorum filiorum mater exstitit, quorum no-  
 vissimus *Carolus Sigismundus* exacto semestri, vitā excessit, Ma-  
 tremq; praevertit, primogenito *Johanne Joachimo*, studiis libera-  
 libus primū dedito, nunc autem militiam secuto, adhuc super-  
 tite, maturumq; Matris obitum ægerrimē ferente. Cum verò A.  
 1667. conjugii hujus haut infelicitis vinculum morte solveretur,  
 casum charissimi consortis graviter & acerbe piē defuncta tu-  
 lit, per biennium & quod excedit, secunda vota, ut ut aliquoties  
 sollicitata, renuens, donec Deo sic disponente, A. 1669. supra jam  
 laudato *Dn Joachimo Seefen* mœstiss. viduo desponsata, Annoq;  
 sequenti præviā benedictione sacerdotali conjuncta. Quocum  
 per 17. fere annorum decursum, pacatissimē tantq; animorum  
 mutuā conjunctione vixit, ut non anni, sed dies totidem elapsi,  
 conjugis hujus amantissimo videantur marito. Fœcundum vero  
 & hoc Deo benedicente conjugium fuit, quatuor nempe filia-  
 bus, *Christina Regina*, quæ vix anni & trium quadrantum emensa  
 spatium beatissimē obiit, *Christina Sophia, Catharina Regina, & An-  
 na Elisabetha*, unico q; filio *Johanne Joachimo*, qui funeri matris  
 adeo providæ adeo q; dilectæ superstitis, inopinā mortem acer-  
 bissimē unā cum Parente venerando lugent. Morbum verò quo  
 ex-



extincta beatissima nostra est, quod attinet, fuit is periculosissimus affectus pectoris, ab empyemate pulmonis principaliter originem trahens, qui, cum ab initio, medicamentorum præscriptione minimè dignus abs defuncta nostra fuerit æstimatus, indies magis magisque cresendo tantos tandem acquisivit vires, ut cum febre continuâ acutâ, pectoris dolore vehementi, pleuritide, tussi molestâ, expectoratione nunc facili, nunc difficili, materię Pituitosæ, sæpe cruentæ, purulentæ, saniosæ, foetidæ, appetitu plane prostrato, frequentissimis lipothymiis, aliisque gravioribus symptomatibus ægram nostram, emaciatam omnibusque viribus planè exhaustam, in pessimū illum deduxit statum, qui spretis omnibus in ejusmodi affectibus aliàs oppido proficuis medicamentis, à me magno numero, tam internè quàm externè adhibitis, nullâ arte mutari potuit, usque dum die 8. Martii hora 12. meridianâ, inter gemitus & suspiria mariti & charorum pignorum, aliorumque cognatorum, postquam horâ ejusdem diei sexta matutinâ, sacro Dominici corporis atque sanguinis viatico instructa, simulque abs Dn. Confessionario suo Viro Reverendo Dn. Christophoro Klapprodio, Pastore Kessinenli optimè merito, atque Ad fine nostro, saluberrimo verbi divini pharmaco contra mortis ingruentis horrorem præmunita satis esset, placidissima analysi spiritum Deo redderet, maximum sui relinquens desiderium. Hic vitæ finis pientissimè defunctæ nostræ, quæ dum viveret, summâ semper veneratione Deum coluit, benignitate in pauperes, in omnes comitate ac benevolentia (ut cæteras ejus insignes planè virtutes hoc quidem loco reticemus) ita excelluit, ut speculum aliquod & regula sexui suo haut immeritò videri posset. Nostrum autem est *Cives Academia* frequentiori comitatu honestare virtuosissimæ feminae tumulum. Itæ igitur lubentes ac frequentes, istudque Senecæ sapientissimi cogitate: Quomodo fabula, sic vita, non quam diu sed quam benè acta sit, refert. Nihil ad rem pertinet quo loco desinas. Tantum bonam clausulam impone. P.P. Rostochii Sub Sigillo Universitatis, die 21. Aprilis A. D. 1687.


*Conventus instituetur in Aede D. Jacobi Sacra ad boram I.*

15(10)90



















gravissimus; Avia materna *Margaretha Des  
Beselini* Filia. Proavus Paternus *Dn. M. Simo  
Dioeceseos Senior, Ecclesiae q; Pastor; Proavia  
ters Nicolai Sinters; Consulis Sternebergens.  
ternus, Georgius Hagemeister/Serenissimorum  
Dn. Ulrici & Dn. Johannis Alberti g.m. arctioris  
rius; Proavia materna Regina Krügers/ Ulrica  
quondam Güstrov. Filia. His ortum suum  
Simulac verò primā Mundi hujus lucem ocu  
fonte regenita, & à tenerā ætate in timore D  
sexum hunc condecorantiū exercitio sollicit  
miæ indolis, geniūq; ad regendam aliquando  
am apprimè comparati, certissima jam tum  
Unde, postquam nobiles impleffer annos, pro  
ciliavit; inter quos vir strenuus, *Dn. Ulricus J  
gnifer equestris; eam sollicitè castèq; ambiit,  
connubio juncta, duorum filiorum mater ex  
vissimus *Carolus Sigismundus* exacto semestri  
tremq; prævertit, primogenito *Johanne Joac  
libus primū dedito, nunc autem militiam se  
tite, maturumq; Matris obitum ægerrimè fe  
1667. conjugii hujus haut infelicis vinculum  
casum charissimi consortis graviter & acer  
lit, per biennium & quod excedit, secunda v  
sollicitata, renuens, donec Deo sic disponente  
laudato *Dn. Joachimo Seefen* mœstiss. viduo c  
sequenti præviā benedictione sacerdotali co  
per 17. fere annorum decursum, pacatissimè  
mutuā conjunctione vixit, ut non anni, sed c  
conjugis hujus amantissimo videantur marit  
& hoc Deo benedicente conjugium fuit, qu  
bus, *Christina Regina*, quæ vix anni & trium qu  
spatium beatissimè obiit, *Christina Sophia, Cai  
na Elisabetha*, unicoq; filio *Johanne Joachim  
adeo providæ adeoq; dilectæ superstites, ino  
bissimè unā cum Parente venerando lugent.****



the scale towards document

*ffians  
rneb.  
San  
s ma  
eckl.  
reta  
nsulis  
ebet.  
sacro  
umq;  
, exi  
mili  
cia.  
con  
er/ si  
1665.  
n no  
, Ma  
bera  
uper  
erò A.  
retur,  
ta tu  
noties  
a jam  
innoq;  
ocum  
orum  
elapsi,  
vero  
e filia  
nensa  
San  
natis  
acer  
ò quo  
ex-*